



Gensericus ob insignē corporis & animi uir-
 tutem Vādalorum rex electus fuit, qui à Sti-
 licone excitati per Germaniam in Galliam & Hi-
 spaniam mirabili rerum successu peruagati sunt.
 Habebat is in suo exercitu ad quadringenta mil-
 lia bellatorum, pari numero natorum & coniugū.
 Illi habitabant in extremis Germaniæ partibus uer-
 sus Sarmatas, atq; sibi Sueuos, Alanos, et Burgun-
 diones coniunxerant. Cum tanta hominum mul-
 tudo in Galliam peruenisset, atq; longè lateq; o-
 mnia prosternerent, Burgundiones figendę sedis
 cupidi eam sibi terram, quæ fuit Heduorum, Lin-
 gonum, Vesuntiorum, & Cabilonensium uendi-
 carunt, quæ à nouo gentis cultu Burgundia iam inde nūcupata est. Olim Bel-
 gica Gallia dicebatur. Vandali autem cum Sueuis & Alanis in Aquitaniam
 transiuerē, à Ligeri fluuio ad Pyrenæum protensam. Erat eorum animus Py-
 reneo saltu superato Hispanias inuadere: nam alia Germanorum gens, quæ
 Francorum erat, Galliam Britanniam uersus sibi subijcere cœperat. sed præ-
 senti conatu prohibiti in mediterranea Galliæ ad tempus concesserunt. Mox
 autem reparatis uiribus Romanorum præsidium ex claustris Pyreneis eiece-
 runt, atq; uiam sibi ad Hispaniæ regiones apperuerunt. Tum uerò multiplex
 clades est omne Hispanum nomen adorta, fœdāq; hominum & ædificiorum
 strages secuta. quicquid enim à Pyreneo ad Oceanum soli patet, in prædā &
 populationem abiit. Astiuaga deinde urbs ditissima expugnata est. Cum au-
 tem uictor Gensericus Toletum frustra tentasset, ad Athlanticum Oceanum
 descendit. Olisiponenses Oceani accolæ sibi auro pacem redemerūt, ne urbs
 ab ea gente circumfessa maiorem aliquam cladem adiret. facta sunt hæc anno
 post Christum natum 415.